

phia seu sapientia, firmum erit ac ratum, nec ullis argumentis in dubium revocabile; adeò ut illius persuasiōni, tanquam omni exceptione majori, planè ac plenè acquiescere poterit, ac debet veritatis avidus animus, nec ulterior alia quærenda sit certitudo.

6. Præterea quoniam quoque nulla est clara & distincta perceptio, quæ non intimè sui conscientiam in nobis gignere possit: & cùm omnis, uti dictum, claræ ac distinctæ perceptionis Deus sit causa, etiam hujus intimæ conscientiæ causa erit, cumque hæc conscientia rem perceptam esse veram indubie nobis persuadeat, dicit, testetur, atque inspiret, non immerito, nec incongrue Dei seu Spiritus Sancti persuasio, dictamen, testimonium, atque inspiratio appellari poterit. Unde patet, quām abs refuerint, & quām inani se torserint labore Theologi, qui Rationem, aut lumen naturale tam parvum, aut nullum statuentes, aliud quid, quod istis nominibus designatur, quæsiverunt, quodque in illius locum surrogârunt, ac lumen supernaturale vocârunt, quod quidem quid sit, ipsi clarè explicare nesciunt, quemadmodum infra cap. 14. fuisse docebitur. Atque hæc illorum opinio inde mihi originem duxisse videtur, quod Aristotelicorum illud dogma, *Nihil esse in intellectu, quod non antea fuerit in sensu*, pro indubitato habentes, nunquam mentem à sensibus avocârint, & admodum mutilam ac imperfectam, imò nullam esse, quæ ab iis hauritur, cognitionem animadvertentes, ac rationem naturalem nihil aliud esse autumantes, eam tam exiguam ac nullam fecerint & pronunciârint: Attamen, quod aliquando iidem casu in quibusdam percipiendis ac cognoscendis purò intellectu usi fuerint, ac, sic aliquem radium veræ ac solidæ cognitionis gustantes, hancque planè alterius notæ, quām priorem, à sensibus haustam, deprehendentes, ab illâ etiam longè discriminârint, & cùm illam ad suam naturam tantum pertinere sibi firmiter persuasissent, hanc altioris naturæ ac divinum quid esse putârint, adeoque lumen supernaturale nominârint. Sanè, quicquid hujus sit, satis patere existimamus, commodè istis sub nominibus hoc, quod diximus, intelligi posse; quocirca etiam cò usque ista sic accipiemus, quod illi aliud quid, & quidem quod statuunt, iis denotari probaverint; si quidem non sit purum putum figmentum, cuius extra illorum cerebrum nec vola nec vestigium in rerum naturâ reperias.

7. Ex antè dictis porrò etiam facilè colligi potest, quām futile sit illorum sententia, qui naturam gratiæ, scientiam revelationi, veritatem ordinariè, veritati extraordinariè patefactæ, non tantum quoad certitudinem suppositam, sed etiam oppositam esse volunt; cùm utraque unò eodemque loco atque ordine habenda sit. Non enim Veritas sibi ipsi, quamquam diversò modò parta atque acquisita, aut contraria esse, aut antecellere potest.

F 2

Exem-